

imperium. Unde Cicero, II *De Legib.*: « Ditione atque nomine deorum geruntur res. » Et act. III *in Verrem*: « Sub imperium ditionemque populi Romani urbes aliquas subjungere. »

QUI ET AVES CORVI PORTABUNT VOCEM TUAM, ET QUI HABENT PENNAS (Aquila *alata*) ANNUNTIABUNT SENTENTIAM. — Hebraea, *verbum*; Tigurina, *maledictionem tuam*; idem dicit posteriori hemistichio per elegantiam, quod dixit priori: aves enim et volatilia habent pennas. Proverbium vulgare est: « Nisi si qua vidit avis, » significans rem esse valde occultam. Unde Aristophanes in *Avibus*:

Nemo vidit meum thesaurum, nisi si qua avis usquam;

et Suidas ex Aristophane:

Nemo me contuetur, nisi praeferens avis:

est ergo haec paremia hyperbolica significans rem occultissimam, puta maledictionem et detractorem secretam, oculo quodam modo perferendam ad regem, qui multos habet oculos et aures, puta multos coryceos et exploratores. Unde illud:

An nescis longas regibus esse manus?

Simili modo et proverbio dicimus sylvas et sepes habere aures, quia quae ibidem quasi in loco deserto et secreto dicuntur, saepe ab aliquo ibidem latitante vel eminus spectante, videntur, audiuntur et cognoscuntur. Rursum cum dicimus « seculis nullis parietibus posse abscondi; » et: « Si tacerint, lapides clamabunt. » Literale exemplum est in Ibyco musico, ideoque divite, qui cum a latronibus ob opes occideretur, grues praeferentales testes et vindices necis suae appellans, per ipsas antea necis detecti poenas dederunt. Unde illud Ausonii in *Monosyllabis*:

Dixas et perit, vindex fuit altivolans grus.

Unde Proverbum: « Ibyci grues, » in eos qui in solito casu prodiit sceleris poenas exsolvent. Ita Plutarchus, lib. *De sera Numinis vindicta*, qui addit simile de Besso, cujus paricidium hirundines prodiderunt. De porphyryone ave tradunt nonnulli, ipsam adulterium uxoris marito detegere. Sic picas, loqui doctas, domi maledicta et facta perorum vel famulorum absentium patrifamilias sua voce et gestu delixisse sepius audivimus. Notum est ex Porphyrio, Phylostrolo et aliis, Melampium, Tiresiam et Apollonium Thyoneum se jactasse, quod voces garritusque harum animarum quae avium intelligerent, et ex his secreta dicta factaque cognoscerent. Huc facit ille *Juvenalis satyr.* 9:

O Corydon, Corydon! secretum divitis illum
Esse putas? servi ut liceant, jumenta loquentur,
Et canis, et postes, et marmora. Claude frænestas,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tollit lumen
E medio, clamant omnes: prope nono recumbat
Quod tamen ad canum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet.

Et Cicero: « Omnis fere sermo, inquit, ad forensam famam a domesticis manat auctoribus. » Quae circa sapienter S. Eucherius, epist. *ad Valerianum*, ita praecipit: « Etiam in secretis tuis, quod velis homines nescire, ne feceris; quod Deum, ne cogitaveris. »

Per *aves cali* ergo nota *delatores*, ut vertit Vatablus, et *exploratores*; aves enim sunt perspicaces, celeres, garrulae, leves, inconstantes: tales sunt delatores et curiosi corycei, qui omnia secretissima explorant; et ut ait Comicius in *Tribuna*: « Id quod in aurem rex reginae dixerit sciunt; quod Juno fabulata sit cum Jove. » Porro Olympiodorus et ex eo Pineda per aves intelligit famam: « Maledicta, ait, fama excurrens deferat ad illius aures, cui malum imprecatur fueris. » Fama enim a poetis pingitur alata, vigil, loquax, velox. Audi Virgilium, IV *Aeneid.*, hoc fama senigma vel hieroglyphicum proponentem:

Cui quot sunt corpore plamae,
Tot vigiles oculi, subter mirabile ducta?
Tot linguae, totidem ora sonant, tot subditi aures.
Nec te vultu celi medio, terraeque per umbra,
Stridens, nec illi deditur lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Terribus aut alius, et magnas terribat urbes,
Tum ficti, praeiugae tenax, quam aucta veri.

Adde (ut ad aves redeam) solere epistolas per aves mitti, cum quid secreta et celeriter absentii et remoto nuntiandum est. De columbis asserit Plinius, lib. X, xxxvii: « Internuntias in rebus magnis fuisse, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi, in castra coasulum D. Bruto mittente. Quid vallum et vigil obsidio, atque etiam refugia ante praetensa profuere Antonio, per oculum eunte nuntio? » Qua de re plura dixi in Oseam. Denique veteres anguria et divinationes rerum arcanarum captabant ex avibus.

Porro principi et magistratui expedit habere voraces et probe fidei exploratores, qui ea quae ubilibet fiunt, praesertim secreta rimentur: sed cavendi sunt leves et fallaces, qui adulationis, odii vel lucri causa, crimina confingunt, et innocentium impingunt. Unde sapienter Mecaenas Augusto Caesar de his ita scribit apud Dionem, lib. LII: « Quoniam auscultatores et exploratores habere oportet, quorum ope omnes imperii tui res cognoscas, ne quid custodia et emendatione indigeas te fallere possit, memento non omnino sciatim, quae ab eis referuntur credenda, sed diligentem considerationem adhibendam esse. Permulto enim eorum, vel odio aliorum, utpote bonorum affectantes, vel in gratiam quorundam, vel irati ob postulata et non acceptam pecuniam, falso crimine seactionis tentate, at contra imperatorem alienicus facti vel dicit inprobi eos onerant. Quod si enim tardius fidem adhibueris, nullo tuo magno id fiet damno: festinando autem fieri potest ut peccatum aliquod irreparabile admittas. »

MYSTICE, *aves cali* sunt angeli (unde Tigurina, *angeli veloces et alati*) boni vel mali, qui res nostras ad Deum et subinde ad homines deferunt, mali ut accusent, boni ut excusent et gratiam impetrent. Angeli enim cognoscunt cogitationes subinde etiam secretas, non ex se, sed ex signis et conjecturis, vel ex revelatione Dei. Minus vere Hugo censet angelos cognoscere quidem cogitationes ab ipsis nobis immissas, an illis consentiamus, non vero cognoscere eas, quas nobis caro vel mundus suggerit: minus vere, inquam, nam utraque aequae cognoscunt vel ignorant: utramque enim eadem est ratio, et idem indagandi motus. Ita Olympiodorus, Thaumaturgus, Hugo et alii. Porro Olympiodorus per *aves* quoque accipit conscientiam propriam, quae ut vulgo dicitur, est instar mille testium, et Spiritum Sanctum. Sed haec huic loco incongrua sunt. Porro S. Hieronymus mystice per *principem* accipiens Christum et sanctos, per *aves* angelos, sic exponit: Maadai, inquit, « non solum contra Christum temere nihil loquendum, verum etiam in arcanis cordis, quamvis variis tribulationibus coarctemur, nihil blasphemum, nihil impium

sentendum. Et quia dilectionem, quam Christo exhibemus, debemus et proximo: diliges quippe Dominum Deum tuum, sed et proximum tantum teipsum; etiam nunc iuberem, ne post regem de sanctis quoque facile detrahamus; et eos quos viderimus sapientia, scientia, virtutibusque ditatos, lingua mordacitate rodamus, quia angeli, qui terram circumceunt, et sunt administratori spiritus, et in Zacharia loquuntur: (Circumvismus terram, et ecce omnis terra habitatur et silet) ad instar avium nostra verba et cogitationes ad caelum perferunt, et quod clam cogitamus Dei scientiam non latere. » Porro Chaldaeus per *aves* accipit angelum Razaëlem et Eliam. Unde sic vertit: « Tu autem ne tacitus apud te, in intimis et abditis cordis, regi prave impreceris, neque in penetrali thalami tui sapienter maledixeris: Razaël enim angelus omni die super montem Horeb clamat, et in universum orbem vox ejus pervagatur. Elias quoque sacerdos magnus, velut aquila summis alis praedita, volans aërem et caelos peribstrat, et quae occulte facta sunt omnibus terram inhabitantibus defert et annuntiat. » Verum haec sunt figmenta judaica et cabalistica.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Per *enigmata hortatur ad largas elemosynas. Inde, vers. 8, monet ut homo assidue memor sit iudicii extremi ideoque concupiscentias mortificet, ac virtutibus et bonis operibus vacet.*

1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum. 2. Da partem septem, necnon et octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. 3. Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. 4. Qui observat ventum, non seminat: et qui considerat nubes, nunquam metet. 5. Quomodo ignoras quae sit via spiritus: et quae ratio compingantur ossa in ventre praegnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. 6. Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; et si utrumque simul, melius erit. 7. Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. 8. Si annis pluerit vixit homo, et in his omnibus latens fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerit, vanitatis arguentur praeterita. 9. Lactare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuae, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum: et scito quod pro omnibus his addret te Deus in iudicium. 10. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

1. Mitti panem tuum super transeuntes aquas quia post multa tempora invenies illum. — P. transeuntes non est in Hebraeo, sed subintelligitur, aquae enim vere et vivae sunt fluentes fluxuque suo transeuntes. Salomonem secutus Ben-Sira, quem Hebraei volunt

fuisse nepotem Jeremiae prophetae, alphabeto 1, littera *zain*: « Sparge, inquit, panem tuum in superficie aquarum, et in arida, et tu invenies eum in fine dierum, » q. d. Sicut agricola jacit semen in terram, nulla habita ratione spiriti humidi vel aridi, sic et tu disperge tuas elemosy-

nas in egentēs, etiam aridos, id est plane inopes, vel immemores et ingratos, ut tibi gratiam referre non possint aut nolint. Jam

Primo, Cajetanus sic proprie explicat: Mitte panem tuum per maria et flumina ad distantes pauperes. Verum ipse nomen hanc universalis elemosynae ad absentes restringit, nisi sic explices, q. d. Ita dilata tuos animos et elemosynas, ut non tantum presentibus eroges, sed et eas ad absentes remotosque quaquaversum mittas, ut fecit S. Gregorius. Chaldaeus vero per transeuntes aquas accipi pauperes in aquis navigantes: « Porrigo, ait, alimentum tuum pauperibus, qui ambulat in navibus super facies aquarum, quoniam post tempus dierum multorum invenies mercedem ejus in saeculo hoc et in saeculo venturo. »

Secundo, Aben-Ezra contrarie vertit; nam pro transeuntes vertit stantes, sive stagnantes aquas, q. d. Sicut in stagnis et vivariis heri projiciunt panem, quem pisces devorant, itaque se impinguant, ut pinguires facti extractique herum pascant: sic pariter projice panem tuum pauperibus, ut eo pasti vicissim te sua gratiarum actione bonaque precatione reficiant et pascant. Illic sensui affine est hoc proverbium Arabicum: « Bonum operare quod potes, et illud in aquam projice; quia pisces aliquis educat ipsum aliquando foras in tuum beneficium. » Exemplum litterale est in *Prato spirit.* Joannis Moschi, capite cxxxv, ubi narrat quemdam 30 nummos dedisse pauperibus, ideoque eos sextuplicatos recepisse, dum in pisce ex aquis extracto invenit gemmam, quam trecentis nummis divendit: quare pro 30, pisces reddidit et trecentos.

Tertio, Olympiodorus per aquas accipit lacrymas: « Cum lacrymis, inquit, et misericordiae affectu facito elemosynam. » Possunt quoque accipi lacrymae pauperum, q. d. Pauperi pro fame et afflictione gemant et lacrymantis dato stipem, ut ea lacrymas ejus soleris et abstergas.

Quarto et magis apposite, alii censent esse metaphoram a mercatoribus, frumenta et panes per naves transmittentibus in exteras regiones, lucra causa, q. d. Sicut mercator panes et grana per naves transvehit in alias oras, ut ibi ea caro vendat, itaque ingens lucrum domum reportet: sic tu mitte panes et opes tuas in pauperes tam urbanos quam forenses, inde enim ingens lucrum, puta Dei hominumque gratiam domum referes. Iluc spectat illud *Prov.* xxxi, 14: « Navis institoris, de longe portans panem suum; » et illud *Gen.* xlix, 20: « Aser, linguis panis ejus, et praebit delicias regibus. » Iluc facti expositio subtilis et sublimis nostri Sebastiani Barradii, lib. VII *Prolegom.* cap. xiv: « Mitte panem super transeuntes aquas, » id est mitte panem tuum in mare, et in longinquam coeli regionem navibus deportetur, et post multa tempora cum efflaveris animam, invenies illum: quae sunt naves? paupe-

res. Hinc ait Christus, *Luc.* xviii: « Omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, » q. d. Opera tuis divitis naves, id est pauperes; hi in caelum viles opes deferent, et cum pretiosissimo thesauro commutabunt. Porro naves haec nunquam patiuntur naufragium, nec spoliunt, ut patiuntur naves mercatorum, sed certo cursu elemosynam in caelum devehunt. Unde S. Chrysostomus, hom. 48 in cap. xxiv *Genes.*: « Facilis, inquit, est haec transvectio, secure illic transferimus, et in thesauro indepredabili reponimus, quocumque per pauperum manus praemitimus. » Qui ergo sapit, imple tuis panibus opibusque manus pauperum; illae eas deportant in caelum, ubi pro eis centuplum, imo millecuplum recipies.

Rursum, aliqui per aquas transeuntes accipiunt animas in purgatorio delatas, quasi pro eis hic jubeat effundere elemosynas, preces et suffragia; illae enim animae transierunt a praesenti saeculo in alterum alterius vite, ac e terra in purgatorium, ubi gravissime igne cruciantur. Quare qui misericos est et sapiens, eis omni ope et arte per indulgentias, Missas, elemosynas suffragatur, ut a tantis tormentis eas liberet; illae enim jam liberatae in caelum evolabant, ubi liberatori suo grate, ampla a Deo dona eidem impetrabant.

Quinto et genuine, q. d. Sicut semen copiose scribitur in terra humectata, per quam transierunt aquae vel pluviae, vel fluviales, ut ex ea succum sugat, quo germinare et segetem copiosam producere queat: sic tu, o fidelis, o christiane, panem, id est elemosynam tuam copiose dispergito in pauperes, ut ex ea copiosus honorum temporalium et spiritualium fructus colligas. Nam per a transeuntes aquas, » metonymice intellige terram transeuntibus aquis madentem et humidam, ideoque aptam ad recipiendum semen: scribitur enim non in aqua, sed in terra aquis humectata. Aqua enim vivifica est, atque omnis lucunditatis effectrix, ait S. Cyrillus in *Isai.* xxxii, 20: sic est et elemosyna. Sensus ergo est, q. d. Postquam aquae pluviae tranierint, terramque ad opportunum satum madentem preparatamque reliquerint, sementem facito: sic pariter ubi pauperum greges ex paupertate aliae afflictione egentēs, ideoque ad elemosynam paratos et anhelantes videris, tu illis eam elargire. Ita S. Hieronymus: « Ad elemosynam, ait, cohortatur, quod omni petenti sit dandum et indiscrete faciendum bene. Quomodo enim qui super irrigua seminavit, fructum sementis exspectat, ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fenore quodam multiplicationem illi prestolans, et cum dies iudicii advenit, multo amplius quam dederat recepiturus. » Hebraice est: *Mitte panem tuum super faciem aquarum*, id est super faciem terre aquis irriguam.

nimirum feracissima est miseri et calamitosi hominis facies, « aquis, » id est æternis, et lacrymis madefacta; in hac semina panem tuum, et ipsa magno cum fenore semen reddit.

Denique, » *super aquas* posset exponi, *juxta aquas*, uti Christus « stans super (id est juxta) » illam, in *Christus avit* » *Luc.* iv, 39. Felicius enim semen jactum juxta aquas, et uberiore fruge provenit (1).

Nota, apte comparantur pauperes transeuntibus aquis. *Primo*, quia homines in hac vita transeunt et praeterflunt, ut aquae et flumina. Unde illud: « Aquae quas vidistis, populi sunt, et gentes, » *Apoc.* xvii, 15; et illud: « Omnes quasi aquae dilabimur in terram, » *II Reg.* xiv, 14.

Secundo, aquae notant pauperum multitudinem, confluum et transitum, quo ab uno ostio in aliud, ab una urbe et pago in alium mendicando et victum querendo transeunt. Nec enim certo loco consistunt, sed assidue circumeunt et peregrinantur, ut eam conquirant. Ita Olympiodorus, *Bonaventura*, *Lyranus*.

Tertio, transeuntes aquae notant non esse spectandam in elemosyna pauperum recompensam, eo quod illi transeant, ut aquae non redirent, saepeque sint ignoti vel impotentes ad retribuendum, imo subinde immemores et ingrati, quare a Deo expectandam esse mercedem, q. d. Licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati, ut in eos quasi in aquas jactum beneficium, et periturum videatur; his tamen beneficio, quia si non ipsi, certe alii, ac imprimis Deus tibi datum magno cum fenore reddit. Unde Pagninus vertit, *mitte panem tuum etiam ignotis, ac si projiceres super faciem aquarum; quia in multitudine dierum invenies illum*. Et R. Salomon, *benefic homini, de quo corde cogitas fore, ut non amplius illum videris, sicut qui cibum suum in aquas projicit*. Thammaturus vero, *justum est panem et cetera laqueis vite necessaria imperitari egentibus, tametsi periturae videatur beneficium, ac si quis in aquam projicit panem; apparebit autem procedente tempore, non inutiliter tibi fore elemosynam*. Sapienter Seneca, lib. IV *De Beneficiis*, cap. xxv: « Propositum, inquit, est nobis secundum rerum naturam vivere, et deorum exemplum sequi: dii autem quodcumque faciunt, in eo quid praeter ipsam faciendi rationem sequuntur? nisi

Maner, mitte, projice panem tuum super faciem aquarum, in aquarum superficie, ut earum fluctibus abluat evanescat: *non in multitudine dierum, post longi temporis spatium invenies, recuperabis eam*, id est, operam tuam amore et fructu ita abstinere, ut eas ad beneficentiam convertas, quamquam inde nulla utilitas oriri videtur; nam in praesentem, etiam post longi temporis spatium, aliquando accidet, ut opes tuae largiente amissae tibi restituantur. Similem consilium dicitur apud Arabes: « Bene fac, projice panem tuum in aquam, aliquando tibi retribuetur. » Ita et D. Hieronymus: « Ad elemosynam cohortatur, quod omni petenti sit dandum, et indiscrete faciendum bene. » *Videtur panis capi pro semine tritici, et quo panis paratur.*

forte existimes illos fructum operum suorum ex fumo extorrem, et thuris odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuunt, quantis terras fructibus implant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quantis imbribus repente dejectis solum moliant, venasque fontium aereas detegunt, et infuso per occulta nutrimento novent. Omnia ista sine mercede, sive ullo ad ipsos perveniente commodo, faciunt. Haec quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum veniale esse beneficium: gratius habemus deos. Si Deos imitaris, da et ingratis beneficia. »

Quarto, transeuntes aquae inquant copiose dandum esse elemosynam, quia copiosi et multi affluunt pauperes instar aquarum, et copiosus elemosynarum erit fructus. Licet enim is modo non appareat, sique occultus, sicut semen copiose projicitur, et occulitur in terra aquis humida; in messe tamen, puta in die iudicii copiosus et splendidus apparebit. Ita S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 49: « Huc (inquit, scilicet ad haec largamque elemosynam) pertinere videtur, quod Scriptura inquit panem in aquam quoque mittendum esse: non enim fore ut distrabatur, aut pereat apud justum harum rerum estimatorem, sed eo perverturno esse, ubi omnia nostra collocabuntur. » Simili modo Apostolus, *II Cor.* ix, 6, elemosynam comparat semini producti magnam messem: « Qui parce seminavit, inquit, parce et metet: et qui seminavit in benedictionibus (id est benefice, copiose, largitur) de benedictionibus et metet. » Vide ibi dicta.

Alludit ad Nilum, qui Aegyptum Judaeam vicinam exundatione sua pertransiundo oblitat, impinguat, fecundat. Idem facit elemosyna, quae dantem dat et omni bono cumulata. Unde et sequitur: « Ita partem septem, nec non et octo. » Ubi alludit ad septem se-ones Nili et rivus (ita ut ipsum Nilum corpus sit octavum) quibus totidem ostiis in mare decurrit, idque facit ut melius totam Aegyptum in totidem partes dissectam irriget et fecundet. Hinc a Virgilio, *VI Aeneid.*, Nilus vocatus *septemgenius*, et ab Ovidio, *XV Metamorph.*:

Perque papyriferi septemibus flumina Nili.

In Aegypto enim non pluit, sed ita agrorum adhaeratio fit a Nilo; unde Claudianus, *Epigram.* 6:

Aegyptus sine nube ferax, imberaque serenos
Sola tenet, secura poli, non indiget venti,
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Niloque relinquit.

Denique, » *mitte super transeuntes aquas* significat elemosynam faciendam esse, *primo*, libenter; *secundo*, non tarde, sed cito; *tertio*, hilariter animo, juxta illud: « Hilariter dabant, diligenter Deus. » *II Corinth.* ix; unde « Fabius beneficium ab homine duro asperere datur, panem lapidosum vocat, » ait Seneca, lib. II *De Benef.* cap. 1 et

seq.; *quarto*, praeveniendo esse pauperes, ut, antequam rogent, ultro mittamus in eorum sinum eleemosynam. Audi Senecam loco citato: « Illud melius, occupare antequam rogemur: quia cum homini probo ad rogandum os concurrat (alii legunt, *corruat*), et suffundatur ruber, qui hoc tormentum remittit, multiplicat manus suam. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit: sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cujusque voluntas, et, cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. »

Quinto, si panem tuum significat eum dandum esse ex tuo, quem scilicet tuo labore comparasti, non ex rapto vel alienum; rursus tuum, id est necessarium, non tantum superfluum. Ad haec tuum, id est eodem quo tu veseris, non ejus micas et crustas decedentes, non panem alterum viliores et secundarium. « Si non comedit pupillus ex buccula mea, » Job xxxi, 17: « Panem tuum cum esurientibus et egenis comede, » Tob. cap. iv, 17: « Frange esurienti panem tuum, » Isai. lviii, 7.

Sexto, eleemosynam transeunt, id est occulte et secreto esse faciendam, tum ut vites inane ejus ostentationem, tum ne egeant pudore afficiant. Unde Isidorus Pelusiota, lib. II, *epist.* 131, celebrat Timotheum quemdam, « quod cum eleemosynam singulari quodam amore complecteretur, id tamen studiosae caplabat, ut obscura et incognita esset ea benignitas. Nam si ostentationis participes est, non benignitatem exhibere videtur, verum eorum qui beneficio afficiuntur calamitates exaggerare, divinumque opus molestissimo morbo labefactare. » Quocirca Timotheum his elogiis ornat: « Revera pudicitiae ac temperantiae delubrum erat, prudentiae sedes, arx fortitudinis, justitiae metropolis, humanitatis penu, mansuetudinis templum, atque, ut uno verbo complectar, virtutum omnium thesaurus. »

Septimo, non semel et iterum, sed assidue et continuo faciendam esse eleemosynam quibuslibet egenis, quotidie affluentibus. Praclare S. Gregorius Nyssenus, Oratione De Pauperibus amandis: « Studium, ait, promerendi de propinquis tibi ab alio praeripi non permittas. Cave ne alius rapiat thesaurum repositum tibi. Calamitate affectum, ut aurum amplecter. Infirmam pauperis valetudinem ita fove, ut in ea et sanitatem tuam, et salutem uxoris, et filiorum, servorum, et totius familiae positam putes. »

Mystice per panem et eleemosynam corporalem accipias spiritualem, qualis est docere ignorantes, solari afflictos, convertere peccatores. Ita S. Hieronymus: « In quocumque homine, ait, illam aquam videris, de qua dicitur: Flumina de ventre ejus fluent aquae vitae, ne te pigeat panem sapientiae, panem rationis, panem praeslare sermonis. Si enim hoc frequenter feceris, invenies te non in cassum doctinarum jecisse sementem. Tale quid et in Isaiam dictum puto: Beatus qui seminavit super aquam, ubi bos et asinus calcant,

Quod ille magister beatitudine dignas habeat, qui super irriguum pectus seminat audientem tam ex Judaeis, quam ex gentium populo congregatum. » Citat S. Hieronymus Isaiam, cap. xxxix, 20, juxta Septuaginta. Vide ibi dicta.

Quia POST MULTA TEMPORA INVENIES ILLUM, — quam rem perditam, vel potius avocantem; sed ut semen mire multiplicat invenies « illum, » id est illius mercedem et copiosam retributionem, idque saepe in hac vita, et semper in futura. Ita Chaldaeus. Hebraice est: *Quia in multitudine dierum invenies illum*. Vide S. Chrysostomum, homil. Alludit ad originem Jordanis (qui est fluvius nobilissimus Judaeae). Hic enim, teste Josepho, lib. III *Belli*, cap. xviii, Hegesipus et alii, oritur ex Phiala fonte in regione Trachonitide. Hic enim fons mire profunditatis, aquas copiosas per abditos subterraneos meatus in Dan, sive Pameadem fontem Jordanis efficit et transmittit. Quare in Pameade intuentibus videtur oriri Jordanis, indeque ex confluentibus rivulorum, Jeorsei et Dan, Jordanis nomen et flumen conflatum est; revera tamen occulte, ut dixi, oritur longe anterius in Phiala fonte. Deprehensum id est a Philippo tetrarcha Trachonitidis. Is namque, missis in Phialam paleis, invenit eas apud Panum in fontem Dan redditas, unde antea fluvius Jordanis nasci credebatur. Vide Adrichomium in *Descript. Terrae Sanctae, in Jordane*. Sicut ergo panis et paleae conjuncti in Phialam fontem, post longos oculosque meatus redduntur in Jordane, sic panes conjuncti in sinu pauperum post multa temporum spatia reddentur largienti. Hic ergo quasi in Phialam, spargamus panem in aquas, id est pauperes, ut illae nobis reddantur in Jordane, id est in fluvio iudicii (hoc enim hebraice est *Jordane*), hoc est iustae retributionis in caelo, ubi Deus eos qui miserint panem in transeunt aquas, et calicem aquae pure, vel coctae in vite aut cere, puta vinum aut cervisiam, dederint sipienti, fonte vite et torrente voluptatis suae potabit, *Psal.* xxxv, 9.

2. DA PARTEM SEPTEM, NEQUON ET OCTO: *Quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* — Pro partem, in plurali partes legunt Lyranus, Dionysius et S. Hieronymus in cap. xli *Ezech.* vers. 1, et S. Gregorius, hom. 16 in *Ezech.*; sed legendum partem cum Romanis, Hebraeo, Septuaginta, Syro, Arabico, Chaldaeo et ceteris: *partem* notat distribuendam esse eleemosynam pro cuiusque necessitate vel merito, et non ita ut esuriant unus, alter ebrius sit, I *Corinth.* xi, 21.

Primo, Chaldaeus hanc gnomem exponit de satione, quasi hic instituat paterfamilias ut congruo tempore agrum serat, ut de eodem agricolam instruit Columella, Varro, Cato et alii scribentes de *Re rustica*, q. d. Sere semen in agro mense septimo et octavo: « Optimam, inquit, partem seminis confer mense Tirsi in agrum tuum; neque tamen et mense Kisleu seminando avocera,

neque exploratum esse potest ipsi terre imminens malum, prima an secunda sementis superatura sit. » Verum hic sensus alienus est, et ad propositum non pertinet. Agitur enim hic de eleemosyna. *Secundo*, R. Hecceados per septem accipit septem planetas; per octo, celum octavum, sive stellatum; per planetas autem et stellas fixas censet denotari viros eminentes et principes, quasi illis hic jubeat dari partem honoris cuique debiti, illosque colere et revereri, ut benigno favoris sui aspectu vicissim nos aspiciant et prosequantur. Verum hoc tam remotum est quam oculum a terra.

Tertio, R. Salomon, Aben-Ezra et Clarius per septem accipiunt septem dies Septimanae, et per octo, diem octavum, qui est primus sequentis Septimanae, q. d. Quotidie per septem dies hebdomadae dato eleemosynam, nec ibi desinit, sed dato die octavo, hoc est primo sequentis hebdomadae, ut denovo novum septenarium cum aova hebdomadae inchoes, et cum ea finias, idque assidue et continuo, q. d. Continuo per omnes dies cujuslibet hebdomadae totiusque vite facio eleemosynam.

Quarto, Cajetanus per septem, pauperes septem proprie et precise accipit: « Forte enim, inquit, tunc temporis familiare erat Judaeis eleemosynis pascere pauperes septem, ob reverentiam divinarum actionum, quae septem diebus describuntur a Moysae, supputato Sabbato quietis. Da itaque partem mensae pauperibus septem, hoc est decreto numero pauperum, et etiam octo, hoc est, si et alius supervenerit, da etiam ei partem. »

Quinto, Osorius et alii per septem et octo accipiunt septimam vel octavam partem opum et proventuum, quasi hanc jubeat dari pauperibus, uti decimam dari iisdem jubet Moses, *Deuteron.* xiv, 28. Alii per septem et octo accipiunt septuplam et octuplam, id est multiplicem et copiosam eleemosynam, quasi jubeatur, ut homo omnes beneficiendi et bene de proximo merendi occasiones expescat. Ita Osorius et Lyranus qui legit in accusativo: « Da partes septem et octo. »

Sexto, S. Bonaventura censet senarium significare id quod sufficit nobis: quidquid est ultra, illud dici septem et octo, q. d. Danda est eleemosyna de eo quod superest, ac large quidem pro facultatibus nostris, ut nostra abundantia aliorum inopiam supplet.

Septimo et *genuine*, q. d. Da partem panis, id est cibi et eleemosynae tuae septem, id est multis pauperibus, imo et octo, id est longe pluribus, q. d. Esto liberalissimus in dando, da quotquot egentibus occurrant, da plurimis, imo infinitis, si potes. Nota est S. Hieronymo in *Isaiae* cap. iv, v, Hebraeis septenarium esse familiarem propter Sabbathum, eoque ac denarium propter Decalogum. Significat autem septenarius multitudinem et universitatem, eo quod omnes dies Septimanae semper recurrentes non sint nisi septem: idem significat ternarius; unde illud Aristotelis: « Tria sunt

omnia, » scilicet prima; non enim duo, sed tria primo vocatur. Jam, si ad tria addas quartum, vel ad septem addas octo, significatur magna et inasitata multitudo. Unde illud: « O terque quaterque, » (id est omnimode) beati. » Sic Amos cap. 4, vers. 3 et seq., toties repetitur: « Super tridens sceleribus Damasci, et super quatuor, » id est ob plurima et maxima ejus scelera, « non convertam eum. » Vide ibi dicta; et *Proverb.* xxx, 15: « Tria sunt insaturabilia, et quartum nunquam dicitur Sufficit. » Simile est *Job* 7, 19: « In sex tribulationibus liberabit te, et in septima (id est in plurima et maxima) non tanget te malum; » et *Michea*, cap. 1, vers. 3: « Suscitabimus super eum septem pastores, et octo primates homines, » id est plurimos et maximos principes, uti libidem dixi. Sic hic dicitur: « Da partem septem et octo, » id est da multis, imo longe pluribus et innumeris. Hinc Thaumaturgus verit: « Da liberaliter et divite pluribus, sua tamen cuique, » q. d. Noli terri pauperum flantem affluentium multitudinem, ut ultimas neges eleemosynam; quin potius omnibus da, ut, crescente numero pauperum, crescant libi animus et numerus eleemosynarum. Hinc Nazianzenus, *orat.* 19, laudans patrem suum vita functum ab eleemosynis: « Revera, inquit, tanquam alienorum bonorum procurator de bonis suis cogitabat, pauperum inopiam, quam maxime poterat, sublevans, nec superflua duntaxat, sed necessaria quoque in eam rem sumens, partemquae dans, non superflua duntaxat, vel Salomonis lex praescribit, verum si octavam etiam accederet; licentius sua profundens, quam alii acquirant. » Qua in re imitabatur Deum, qui liberalis est in omnes, nec ullum indotatum relinquit. Vere Cicero: « Homines, ait, ad deos nulla re propterea accedunt, quam dando; nihil habet fortuna melius quam possis, nec natura melius, quam ut velis servare quam plurimos. »

Huc facit vetus proverbium: « Omnia octo, » de quo Collector adagiorum, et Bongus in *Mysteriis numerorum*, cum nihil deesse significatur: sive propter Stesichori poete monumentum, inquit noster Lotinus, Cataniae ex omnibus octonis constructum, columnis, gradibus angulisque; sive propter distributos a primo conditore Corinthios in octo tribus; sive propter totidem deos summae rerum imperantes, per quos jurare solent Olympae fertur: ienem, aquam, terram, caelum, lunam, solem, Mythram (Persae confundunt cum sole), noctem; sive quia in Aegyptia columna in signum justitiae inscribantur decorum octo nomina: Saturni, Rheae, Osiris, spiritus, celi, Terrae, noctis, diei; et totidem Xenocrates, uti prodicit Cicerone, licet diversos deos faciebat; sive propter octonas certaminum species in Olympiis; sive propter aliam causam. Igitur septem et octo nullum non comprehendunt, valeatque sententia ista, idem ac quod praecipit Christus: « Omni autem petenti te, tribue, » *Luc.* vi, 30. Alludit ad ve-

terum comedendi et convivandi ritum, quo, teste Macrobio, lib. I. *Saturnal.* cap. vii, et Gellio, lib. XIII, cap. xi, in convivio septem adhibebantur convivae, et octavus erat rex sive prases convivii. Unde proverbium: « Septem convivium, novem convivium. » Vide Sidonium Apollinarem, lib. I. *epist.* 11, et Ithodigium, lib. II, cap. vii. Iliue Hellogabalus imperator, teste Lampridio, ad cenam invitabat simul octo luscus, octo calvos, octo surdos, octo podagrosos, octo nigros, octo longos, octo prepingues et obesos, ut sibi suisque risum moveret.

Tropologie S. Ambrosius in cap. vi *Lucæ*, explicans octo beatitudines: « Beati pauperes, » etc., his hunc locum applicat: « Mandatum accipis, inquit, octo illis partem dare, fortasse benedictionibus, » id est beatitudinibus, ut scilicet partem vite demus exercenda paupertati, que est prima beatitudo a Christo proposita; partem mansuetudini, que est secunda beatitudo; partem luctui et compunctioni, que est tertia, et ita de ceteris. Causam subdit: « Sicut enim spei nostre octava perfectio est, ita octava summa virtutum est, » q. d. Sicut spes nostra, id est vita æterna quam speramus, perficitur in octava resurrectionis, ita octava beatitudinum est summa virtutum, id est octo beatitudines sunt summa perfectio et culmen virtutum omnium. Dato igitur ac stude beatitudinibus, ut eas secleris, conitaris ad octavam, id est perfectionem virtutum, ac per eam assequaris octavam glorie in beata resurrectione. Idem S. Ambrosius, lib. II *De Jacob*, cap. xi, alludens ad septem candelabri lucernas, et ad octavam quasi omnium uterum, illas applicans septem Machabeis, quorum octava erat mater: « Quam bonus, inquit, fidei portus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna Ecclesie septeno fulgens lumine, et octavo utre cunctis luminibus oleum subministrans! De quibus pulchre dicitur: Date partem illis septem et illis quidem octo, eo quod in utroque numero consortium gratiæ consequantur in lege nutriti, per gratiam coronati, septem tanquam in Sabbato; octo tanquam in Evangelio. Pia mater supplemento passionis adjuncta, que in talibus filiis integram pietatis formam et parturit et peperit. »

Secundo, S. Gregorius, Prologo in *Psal. vi Pentent.*, docet dandum esse partem septem, id est vite active obendo septem opera misericordiarum; et octo, id est vite contemplativa. « Da mihi, inquit, Domine, partem septem, neonon et octo. Optavit enim ita subditos regere, ut tamen contemplationis divine non fraudaretur perfectione. Ipsa namque officii administratoria necessitate constructis, cogebatur temporali actioni insistere; sed suavis enim contemplationis divine dulcedo reficiebat in mente. Postest etiam intelligi, quod ille quidecim gradus ad illam divinam illuminationis templum ascendit, qui sempiternæ virtutis

Dei amore correptus, temporalibus que per septenarium numerum designantur, gradatim contemptis, per scalas octo beatitudinum ad sublimia provehitur, donec Deus deorum in Sion menta videatur. » Similia habet Philippus Solitarius, lib. III *Dioptra*, cap. viii.

Rursus Olympiodorus per septenarium accipit septem dona Spiritus Sancti. Hugo vero et alii accipiunt tres virtutes theologicas, puta fidem, spem, charitatem, et quatuor cardinales, puta prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam, quasi jubeat illis studere in septenario hujus vite, ut per eas pertingamus ad octavam felicitatis æternæ.

Allegorie Hebræi, ait S. Hieronymus, ita hunc locum intelligunt, et sabbatum et circumcissionem (hæc enim dabatur octavo die infanti) serva, ne si forte hoc non feceris, inopinatum tibi superveniat malum. Melius Christiani nonnulli sic expliunt, q. d. Serva septem, id est Pascha, et octo, id est Pentecosten. A Paschate enim ad Pentecosten numerantur septem hebdomades, quarum quasi octava est quinquagesima, puta Pentecoste, quo aludens S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 43, que est in S. Pentecosten, sub initium: « Da partem septem et octo, » id est, inquit, da partem S. Pentecoste et futuræ beatitudini. Sic enim habet: « Hic eximius septenarius Pentecostes honorem innoxit. Septenarius enim in seipsum ductus quinquagenarius gignit uno die excepto quæ in futuro seculo assumpsimus, octavam eandem et primum, vel, ut rectius loquar, unum et septimum. Illic enim presens animarum nostrarum sabbatismus desinat necesse est, ut detur pars septem et octo, sicut jam nonnulli majorum nostrorum hanc Salomonis locum exposuerunt. »

Rursus S. Hieronymus, lib. *Contra Luciferum*, per septenarium accipit Vetus Testamentum, per octo Novum: « Ecclesiastes, ait, jubet dare partes septem, dare partes octo, id est utrique credere Testamento. » Et S. Isidorus, lib. I *Offic.* cap. xiv, legens: « Da partem illi septem et illi octo, » sic explicat, q. d. Judei celebrant diem septimum, puta Sabbatum, quod erat requies mortuorum; at christiani celebrant diem octavam, puta Dominicam, que est dies resurrectionis, ac proinde vivorum, non mortuorum. Eodem modo explicat S. Augustinus, *epist.* 119, cap. xv, et Olympiodorus ac Salenius: « Precipit, inquit, tam Veteris quam Novi Testamenti servari precepta. » Denique S. Hieronymus scribens in hunc Ecclesiastæ locum: « In Ezechiele, inquit, septem et octo gradus ad templi leguntur ascensum. Et post ethicum illum psalmum, id est centesimum octavam et decimum, quidecim graduum Psalmi sunt, per quos primum erudimur in lege, et septenario numero expleto, postea per octo ad eandem ad Evangelium scandimus. Precipitur ergo ut in utramque Testamentum, tam Vetus scilicet quam Novum,

pari veneratione credamus. Judei dederunt partem septem, credentes Sabbatum; sed non dederunt octo (non suspicientes Evangelium et) resurrectionem diei Dominicæ denegantes. E contrario heretici Marcion et Manichæus, et omnes qui veterem legem rabido ore dilaniant, dant partem octo suspicientes Evangelium, sed eandem septenarium numero non tribuunt, legem veterem respuentes. Nos igitur utriusque Testamento credamus. Non enim possumus dignos cruciatus, dignamque penam jam nunc mente comprehendere, que resposita est his qui versantur in terra, Judeis atque hereticis, et duobus alterum denegantibus. »

Porro Cassianus, lib. II *De Institut. reviv.* cap. ix et x, sic explicat, q. d. Die Sabbati, puta septima, serva jejunium ex prisco Ecclesiæ ritu: die octava vero celebra festum, puta Dominicam resurrectionis Christi.

Anagoge, S. Gregorius, lib. XXXV *Moral.* cap. vii, per septenarium accipit presentem vitam ejusque bona, per octonarium futuram, quasi dicat: Sic dispensa temporalia, ut accipere cæteris æterna. « Septenarium quippe, inquit, cum adhuc alius sequitur, ac ipso ejus argumento exprimitur, quod finienda temporalitas æternitate concluditur. Hinc est enim quod Salomon admonet dicens: Da partem septem, neonon et octo. Per septenarium quippe numerum, hoc quod septem diebus agitur, presens tempus expressit; per octonarium vero vitam æternam designavit, quam sua nobis Dominus resurrectione patefecit. Dominico scilicet die resurrexit, qui dum diem septimum, id est Sabbatum sequitur, a conditione octavus invenitur. Bene autem dicitur: Da partem septem, neonon et octo, quia ignoras quid mali futurum sit super petram, ac si aperte diceretur: Sic dispensa temporalia, ut appelere non obliviscaris æterna. Oportet namque ut in posterum bene agendo provideas, qui de venturo judicio quanta tribulatio sequatur, ignores. Hinc est quod quidecim gradibus templum ascenditur, ut ex ipsa ejus ascensione discatur, quatenus per septem et octo et temporalis sollicitudo dispensetur actio, et provide mansio æterna requiratur. Hinc et etiam quod dum moras in denarium surgit, centum quinquaginta Psalmos Propheta cecinit. Propter hunc septenarium numerum temporalia, octonarium vero æterna signantem super centum viginti fideles in æneaculo residentes Spiritus Sanctus effusus est. Per septem quippe et octo quidecim componuntur, et si ab uno usque ad quidecim numerando paulatim per incrementa consurgimus, usque ad centesimum et vigesimum numerum pervenimus. Qua scilicet effusione Spiritus Sancti didicerunt, ut et temporalia tolerando transirent, et æterna inhiante appeterent. »

Symbolice idem S. Gregorius, hom. 16 in *Ezechiel.*: « Partes, ait, simul septem et octo damus, quando sic ea que septem diebus evolvuntur, disponimus, ut per hæc ad bona æterna venia-

mus. » Etates enim hominis septimo quoque anno variantur, et per septenarios ad metam decurrunt; puta ad octavam resurrectionis, ait Hugo. « Septimus quisque annus etati notum imprimit, » ait Seneca. Audi Hippocrates apud Philonem, lib. *De Mundi opificio*: « In hominis vita septem sunt tempora, quas etates vocant: infans, puer, adolescens, juvenis, vir, senex. Infans est usque ad septennium, intra quod dentes emittit; puer, usque ad secundum septennium, quoad genitura emissionem sit tempestivus. Adolescens, usque ad tertium septennium et barbæ laniginem. Juvenis, usque ad quartum septennium, et accretionem totius corporis. Vir, usque ad annum undequingagesimum, et septimum septennium. Senior, usque ad quinquagesimum sextum, et octavum septennium. Senex, toto quod reliquum est tempore. » Et nonnulli interjecti: « Pater ea que dicta sunt, manifestissime vim perfectionis designant in septenario representant ætates ipsæ ab infantia ad senectutem usque, que mensurantur septenario; ac primo quidem septennio enascuntur dentes. In secundo, tempestivitas est ad genituram emittendam. In tertio, barbæ accretio. In quarto, roboris accessio. In quinto, tempus nuptiarum. In sexto, vigor intelligentiæ. In septimo, utriusque augmentum, intelligentie et eloquentiæ. In octavo, utriusque perfectio. In nono, æquitas et mansuetudo, affectibus majori ex parte mansuetis. In decimo denique, vite exitus optabilis, adhuc integris sensuum instrumentis. Solet enim alioqui senectus longa supplantare et affligere. »

Hinc sequitur septenarium esse ætatem et vite definitorem: in eo enim fit sanguinis, humorum, spirituum, calorum et complexionis mutatio. Quocirca nonus septenarios annorum, puta annus vite 63, est climactericus, multisque vite finem affert. Unde 63 ætatis anno mortui sunt Aristoteles, Cicero, Chrysippus, Bocacius, Cardinalis Cusanus, S. Benedictus, S. Bernardus et alii permulti. Unde et Augustus Cesar annum 63 velut fatalem exiitum, eoque exacto quasi periculo defunctus sibi gratulatus est. Abraham mortuus est anno ætatis 175, qui 25 septenarios complectitur; Jacob anno ætatis 147, qui 21: David 70, qui decem septenarios in se concludit: eodem permulti decedunt. Nam, ut idem ait *Psal. LXXXIX*, 10 « Dies annorum nostrorum in hisis, septuaginta anni. Si autem in potentibus, octoginta anni, qui octo denarios complectitur, juxta id quod hic dicitur: « Da partem septem, neonon et octo. » Simili modo republice status per septenarios sæpe mutatur. Hebræorum captivitas in Babylone desit anno 70, qui est decimus septenarius; omnium monarchiarum series desit in 70 hebdomade, *Danielis* cap. ix, in qua natus est Christus monarcharum monarcha. Porro 70 hebdomades annorum faciunt annos 490, qui est quasi quibus septenarii et denarii: septies enim decem faciunt

70: septies 70 faciunt 490. Atque circiter eundem annum 490 facta est crebra reipublica Hebraica, uti et alarum mutatio, puta prima a Mose et iudicibus in Saulem et reges, secunda a regibus in Zorobabel et duces tempore captivitatis Babylonice, tertia a ducebus in Christam. In qualibet enim harum invenies circiter annos 490, uti colligere licet ex tabula chronologica, quam prefixi Pentateucho. Juxta hunc sensum monet Sapiens ut memores simus septenarii, id est decursus et finis ætatis, tum nostræ, tum reipublicæ, in eoque agnoscamus utriusque vanitatem, dicamusque: « Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis, » *Psalm. cxviii. 96.* Sicut enim septenario dierum, puta septem diebus initio mundi Deus omnia creavit, ita septenario ætatum eadem variat et finit. Rursum, ut cuique ætati (que numero sunt septem) suam demus partem, officium scilicet cuique ætati debitum, puta infantie demus innocentiam, pueritiæ obedientiam, juventutis castimoniam, adolescentiæ studium sapientiæ, virili ætati robur virtutis, senectuti maturitatem, apathiam et perfectionem, decrepitate meditationem instantis vite æternæ.

Denique nonnulli, uti superius indicavi, per septenarium accipiunt pauperes viventes, per octonarium defunctos degentes in purgatorio, *q. d.* Da elemosynam pauperibus viventibus in septimana hujus vite, da et defunctis qui ex hac vita transierunt ad purgatorium, ubi expectant octavam felicitatis æternæ. Rursum nonnulli sic exponunt, *da partes septem, nec non et octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram.* Hoc est, neminem a commercio laborum tuorum excludas, cum nescias mala, scilicet tentationes hominibus eventuras, que si divitem forte prostraverint, pauperulum in bono perseverantem habebis per tui laboris industriam in quo tanquam in filio sapiente glorieris.

QUA IGNORAS QUID FUTURUM SIT MALI SUPER TERRAM. — *q. d.* Multæ calamitates, eaque improvisæ et quasi inevitabiles imminet terre; ut ergo ab eis te liberes, multas facito elemosynas: « Quoniam elemosyna a morte liberat, et ipsa est que purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam, » ait Raphael, Tobie, cap. xii, vers. 9. Tales calamitates sunt furum, latronum et hostium incursum, sterilitas agrorum, venti, procellæ, ærugo, pestis, fames, bellum, morbi, mors: hæc sunt mala pœnæ; mala culpa sunt peccata et peccandi occasiones ac tentationes: contra utraque antidotum est elemosyna, uti ostendi *David. iv. 24; Deuter. xxvi.* ubi 22 elemosynæ fructus recensuit. Vere S. Hieronymus in *Nepotianum*: « Nunquam, ait, memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. »

Rursum S. Hieronymus hic, et S. Gregorius, *homil. 45 in Esaiem.*, malum hoc referunt ad examen, sententiam, damnationem et gehennam

impiorum in die iudicii, a qua misericordes eximit Christus, *Matth. xxv.* Sic et Olympiodorus: « Modeste age, inquit, que ad hujus vite pertinent officia, cogitans assidue et de futuro sæculo: neque enim nosti quam gravia reposita sint tormenta iis qui neque septenariis partem suam dederunt, neque octonariis. » Addit deinde alium sensum, dicens: « Vel elemosynam omnibus confer in cordis tui simplicitate; neque enim nosti quis hominum vere indigeat, quise simulata paupertate per avaritiam petat. » Verum primus sensus, quem dedi, est literalis et genuinus. Didicit hic Salomon a patre suo Davide, qui *Psalm. xl.*, ita canit: « Beatus vir qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala (Symmachus in die afflictionis, Eusebius quancumque urget calamitas) liberabit eum Dominus. »

3. SI REPLETE FUERINT NUBES, IMBREM SUPER TERRAM REFUNDENT (Hebr., *evacuabunt, exsument*). Si (Hebraice, et si) ECCEIDERIT LIGNUM AD AUSTRUM, AUT AD AQUILONEM, IN QUOCUNQUE LOCO ECCEIDERIT, IBI ERIT. — Sensus est, ait Olympiodorus, quasi dicat, sicut nubes jussu divino imbrem super omnes homines spargunt, ita convenit elemosynam cunctis hominibus impartiri: nimirum cor plenum uti divitiis, ita et charitate, elemosynam copiosam det oportet, sicut nubes aque turgidæ copiosam effundunt pluviam. Unde illud *Ose. vi. 4*: « Misericordia vestra quasi nubes matutina; » et *Ecclesi. cap. xxxv.*, 26: « Speciosa misericordia Dei in tempore tentationis, quasi nubes pluvie in tempore siccitatis. » Vide dicta utrobique.

Porro nubes densæ certum sunt signum pluvie, æque ac multa alia, que physici assignant. Nam pluviam præsignant quæ gramina concident, eorumque ventres murrurantes; muscæ et vespæ equos acrius compungentes; fumus per canini gulam spissius subvolans; crebriores atrocioresque morsus pulicum. Sunt insuper argumenta pluviarum, græs silentio per alia ocell involantes; boves acrem offactantes, sequæ contra pitum lambentes; hirundo lacum circumvolitans, summisque alis aquæ superficiem verberans; ranæ insuetum coaxantes; formicæ e cavernulis ova efferentes; arcus celestis; corvi et cornices cogitantes; terrestres volucres adversus aquam clangores edentes, seseque perfundentes; oleum lucernæ scintillans, et fungi se inde tollentes; Luna crescens obscurior; sol exorians concavus et maculosus; item sub ortu solis nigra nubes, rubentibus interveniens.

Aple elemosyna comparatur nubi, quia primo, sicut nubes a celo formata non alium habet finem et scopum nisi pluviam, sic opum a Deo datarum non alius est finis quam ut erogentur in egenos. Secundo, sicut Deus pluit indifferenter et æqualiter super omnes, sive bonos sive malos, sive amicos, sive inimicos: sic et elemosynarius omnibus beneficiat sine exceptione personarum. Tertio, sicut nubes a pluvia nullam gratiarum actionem

expectat, sic nec dives quidpiam expectet a paupere, juxta illud Christi: « Mutuum date, nihil inde sperantes. » Quarto, sicut pluvia grata est nubi, ac nubem nubi rependit, dum in terra a se humectata et radiis solis calefacta vapores excitat, qui in aerem elevati, in nubes rursus concreverunt: sic pariter elemosyna datat dantem, adeoque elemosynarius certat liberalitate cum Deo; unde quo liberalior est in pauperes, eo liberaliorum in se Deum experitur, uti se experiri aiebatur S. Joannes Elemosynarius, teste Leoncio, Episcopo Neapoleos in Cypro, in ejus Vita, qui et addit eum confidenter dicere solitum Deo: « Videbimus quis vinceat, an tu mittendo, an ego dispergendo. » Hinc Chaldaeus vertit, *si repleta fuerint subes pluvia, super terram effundent aquas suas propter merita justorum. Et si non fuerit justus in illa generatione, in mari et in deserto descendat, ut non sit utilis ex eis filiis hominum.* Et sic explicat S. Hieronymus quasi dicat: « Serva mandata, que tibi superius sunt præcepta, ut nubes super te effundat imbrem suum. Ubicumque enim tibi locum preparaveris, futuramque sedem sive ad austrum, sive ad boream, ibi cum moriurus fueris, permanebis. Alter: propterea supra diximus: Mitte panem tuum super faciem aquæ, etenim plent te tribue; quia et nubes, cum plene fuerint, divitias suas mortalibus largiuntur. » Nubes ergo misericordie nostræ in pauperes elicit et provocat nubem misericordie divinæ, ut in nos gratias et dona sua pluat et effundat, juxta illud: « Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur, » *Matth. v. 7.*

Mystice Olympiodorus: « Nubes, ait, sunt viri sancti, quorum unus fuit Moses, qui dicit: Expectetur ut pluvia eloquium meum, *Deuter. cap. xxxiii.* Sancti ergo repleti divino verbo, quale scilicet factum est ad Osee aliosque sanctos, effundunt fecundam (doctrinæ) imbrem non super solam Judæam, sed et in omnem terram, in quam exivit sonus eorum. » Sic et S. Hieronymus et S. Ambrosius, lib. III, *epist. 49 ad Constantium*, quem audi: « Quicumque colligit de montibus aquam atque ad se trahit, vel haurit e fontibus, et ipse rotat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tue, ut terra tua humescat et domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit et intellegit, impletur; qui fuerit impletus, alios rigat, ideoque Scriptura dicit: Si implete fuerint nubes, pluviam in terram effundent; sint ergo sermones tui proflui, sint puri, dilucidi, ut moralis disputatio suaviter infundas populorum auribus, et gratia verborum tuorum plebem demulceas, ut volens quo ducis sequatur. » Vide dicta *Ezech. x. 4*, ubi proprietates nubium recensuit, easque apostolis et prædicatoribus applicuit. Igitur nubes fecundæ et secundæ sunt sancti prædicatorum, ait Hugo, quorum est sublimari a terra, placere doctriinis, tonare minis, coruscare miraculis vitæque exemplo; nubes vero sine

agua, ventisque circumlate, ut ait S. Judas, sunt illi qui gratia vacui plausum auditorum captant non planctum.

SI ECCEIDERIT LIGNUM (Arabice *trabs*) AD AUSTRUM AUT AD AQUILONEM, IN QUOCUNQUE LOCO ECCEIDERIT, IBI ERIT. — *Figurata, in eo permanebit; Campensis, erunt qui colligent illud.* Hebraea, Septuaginta, Syrus et Arabice præponunt copulam et, et si ecceiderit, etc., ex quo patet hanc gnomen copulam esse cum hemistichio præcedenti, si repleta fuerint nubes, cum eoque eodem versu coherere, sive per similitudinem, sive per dissimilitudinem. Unde

Primo, Thaumaturgus vertit, non est arbor ulla que semper stet, licet enim eandem homines non succidant, vento tamen olim subvertetur, *q. d.* Sicut arbor omni casu, sic et homo, qui est arbor inversa, morbo subvertitur: quare si sapit, antequam succidatur, benefaciat, ut successus præmium benefactorum recipiat vitam æternam.

Secundo, Aben-Ezra, Clarus et Campensis per lignum sive arborem accipiunt fructus arboris, qui maturi ex ea decidunt, *q. d.* Fructus arboris, v. g. poma et pyra, in quacumque arboris partem latusque cadant, non pereunt, cum non desint, qui ea colligant: sic hominis liberalis elemosyna, in quacumque locum cadat, non perit, cum nusquam desint pauperes, qui eam colligant, ac elemosyna ubique suam apud Deum et homines inveniat præmium. Hic sensus satis videtur appositus, qui adde et hunc illi affinem, *q. d.* Sicut pluvia et fructus arboris decidens, non considerat quo cadere debeat, an in terram bonam, an in malam; an ad aquilonem, an ad austrum, sed naturali pondere cadit in quacumque partem sibi proclivem et obviam: sic pariter facient viri liberales, in danda elemosyna, scilicet in quacumque partem, locum et sortem incidere, ubique sunt munifici, hos et illos et alios quam plurimos alunt, beneficentiam suam in omnes obvios exerunt; nec curiose scrutantur an digni sint, an indigni, an grati futuri vel ingrati, an bene elemosyna usuri, an male, an elemosyna sibi futura sit utilis, an damnosa; quia in quacumque tandem illa collata fuerit, ibi erit, danti non pericrit, sed ibi illam suo tempore inveniet. Simile est de pane projecto in aqua præterfluentes, vers. 1. Huc accedit R. Salomon, qui ecceiderit accipit non de caso, id est lapsu, sed casuali sorte, quasi dicit: Sicut arbor, ubicumque ejus sors ecceiderit, ut planctur et subsistat, sive in australi regione, sive in aquilonari, ibi fructus suos profert ad incolarum commodum: sic vir liberalis ubicumque colloctur; et quicumque eum sors casusve tulerit, omnibus indignis et advenis beneficium se exhibet.

Tertio, R. Haccados, *q. d.* Sicut nubes depiunt pluviam in omnem locum, etiam aridum et sterilem, ubi scilicet ligna exarantur, et casu aliquo prolapsa sunt: sic pariter beneficium sua

beneficia disperit in omnes, etiam indignos et ingratos, qui ob ingratitude exaruisse, et ad omne bonum inutiles esse videntur.

Quarto, Chaldaeus haec refert ad principes immisericordes, qui ob immisericordiam principatu excidunt, sicut misericordes ad eundem eleuantur, vel prolapsi eidem resituantur, ut patet in Nabuchodonosor, *Daniel. iv*; partim ad rerum copiam vel famem, qua a Deo nunc huic regioni, nunc illi ob virtutes et vitia, ac praesertim ob misericordiam vel crudelitatem immittitur. Unde sic vertit, *si decretum fuerit de celo ut cadat res et consiliarii eius de principatu eorum, ex auctoritate dicti Domini fiet, et etiam saturitas aut fames in meridiam aut septentrionem, ubicumque decretum fuerit, ut firmetur illud consilium, mittitur eo, ut fiat.*

Quinto, Noster Pineda, *q. d.* Da eleemosynam pauperi, dum vivit, quia si moriatur, illam amplius ei dare non poteris. Nam quocumque tandem ceciderit et ubicumque fuerit, non amplius illum revocabit tua beneficentia ad vitam; maturanda igitur, et non procrastinanda eleemosyna indigenti. Quia fere ratione divinam misericordiam allicere conabatur Job vii, 7, dicens: « Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus ut videat bona; » et vers. 21: « Ecce, nunc in pulvere dormiam: et si mane me quisieris, non subsistam. »

Sexto, nonnulli hanc gnomen atque precedenti, quasi illam probet et confirmet, ut prius ejus hemistichium respondeat priori hemistichio precedentis, posterius posteriori, *q. d.* « Da partem septem, necnon et octo, » id est da eleemosynam multis, imo plurimis; quia sicut nubes replete copiosum super terram imbrem effundunt, sic liberales, opibus et liberalitate abundantes et quasi turgidi, copiosas dant eleemosynas, adeoque multis, imo omnibus quibus possunt, benefaciunt. Rationem subdit: « Quia ignoras quid mali futurum sit super terram. » Hoc ergo malum omne satage praevenerit, et evitare per eleemosynam: quia « si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, » *q. d.* Ubicumque et in quocumque plagam ceciderit malum, id est clades et strages a Deo immissa, ibi damna sua infliget, ut illa declinare vel amoliri sit impossibile, nisi per eleemosynam illa a te avertas.

Septimo.

Septimo, magis plane, congrue et proprie, S. Hieronymus: « Propterea, inquit, supra diximus: Mitte panem tuum super faciem aquae, et omni peleni te tribue, quia et aubes cum plene fuerint divitias suas mortalibus largiuntur; et tu quasi lignum, quamvis longaevis sis, non eris in perpetuum, sed subita vi ventorum, ita mortis jugestate subversus, ubicumque cecideris, ibi jugiter permanebis, sive te rigidum et truncem, sive clementem et misericordiem ultimam invenerit tempus. » Hunc sensum exigit an-

tithesis austri et aquilonis. Nam, ut notat S. Hieronymus, auster in Scriptura dum opponitur aquiloni, in bonam partem, aquilo in malam partem accipitur, juxta illud: « Dominus ab austro venit, » *Psalm. iii*, 3. Australis enim plaga est mundi dextera, lucida et calida; aquilonaris vero est sinistra, caliginosa et frigida. Adde, Babylonem, quae per Nabuchodonosor evertit Jerusalem et Judaeam, eidem erat aquilonaris. Unde illud: « Ab aquilone (id est a Babylone) pandetur malum, » *Jerem. i*, 14. Auster ergo notat statum misericordiae, gratiae et salutis; aquilo statum immisericordiae, peccati et damnationis, quod scilicet post casum, id est mortem, ab uno statu ad alterum non sit transitus, ut qui decidunt in statu gratiae et salutis, non possint transire in statum peccati et damnationis; nec hi vicissim in hunc commutare: magnus enim chaos inter utrumque firmatum est, quod nulli est penetrabile aut permeabile, ut aiebat Abraham diviti epuloni, *Luce. xvi*. Huic sensui optime inhebet communis Patrum et interpretum hominis mortem: homo enim est arbor inversa, quia radices, puta caput cum capillis mittit sursum, ramos vero, puta pedes deorsum. Unde illud caeci a Christo illuminati: « Video homines velut arbores ambulantes, » *Marc. viii*, 24. Sensus ergo est, *q. d.* In quocumque loco et statum homo in morte ceciderit, sive ad austrum, id est ad statum electorum et beatorum, propter opera misericordiae, quae fecit in vita; sive ad aquilonem, id est ad statum damnatorum, propter opera immisericordiae, ibi manebit in aeternum, ut in alterum et contrarium aliorum statum commigrare et transgredi nequeat. Cura igitur ut eleemosynas et merita accumulando cadas ad austrum, non ad aquilonem, dum tibi brevi moriendum erit; vide ergo quo inclinatus mens tua, an ad avaritiam, an ad virtutes, an ad vitia; et si videris eam propendere ad aquilonem, omni studio reflecte eam ad austrum, ut ad illum cadat, non ad aquilonem. Tota ergo vita tua disce quomodo semel bene moriaris; disciplina autem bene moriendi est sancta vita; sancte ergo vive, si vis sancte mori, ut cadas ad austrum.

Apposite auster, utpote caeli regio dextra et calida, representat felicitatem caelestem; aquilo vero, qua sinister et frigidus, damnationem gehennalem. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Albinius, Salomius et S. Gregorius, *III Moral. iv*, quem audi: « Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. In die autem mortis suae justus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem: quia et justus per fervorem spiritus ad gaudia ducitur, et peccator cum apostata angelo, qui dixit: sedebit in monte Testamenti in lateribus aquilonis, in frigidis suis corde reprobat. » Audi S. Bernardum, *serm. 49* inter parvos: « Sive ad austrum,

Caden-
et au-
tum
suavit,
ad aquil
noem
lapide.Tropolo-
gice.Auster et
aquilo
duos
modos
representant.

eivo ad aquilonem arbor ceciderit, ibi erit. Austri calor et levitas in sacra Scriptura bonam solent habere significationem. Ab aquilone vero panditur omne malum. Porro homines sicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte, et quocumque ceciderit, ibi erit, quia sibi se iudicabit Deus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter et irretractabiliter. Videat quae casura sit antequam cadat, quia postquam ceciderit, non adiecit ut resurgat, sed nec ut se veritat. Quo vero casura sit arbor si seire volueris, ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum et ponderosior, inde castrum ne dubites, si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt, quibus ad austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad aquilonem. Quae vero preponderent medium corpus indicat, ea namque preponderant quae secum traherent corpus. Id ipsum deinde apposita similitudine declarat: « Sic enim est corpus inter spiritum, qui servire debet, et carnalia desideria, quae militant adversus animam, sive potestates tenebrarum, ac si vacca sit inter raptorem et rusticum constituta. Quidquid ille minuet, quidquid intendat, si vacca non duxerit, rusticus vicit: sic quantum cumque serviat malignus, quantumcumque prava desideria crucient, si vas suum sibi vindicat anima, vicisse credenda est, ut, quemadmodum ait Apostolus: Non regnet peccatum in nostro mortali pectore; sed sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, sic exhibeamus servire justitiae in sanctificationem. »

Tropologicè, Galfridus in tropologia ad hunc locum: In oriente stat, inquit, qui proficit; in occidente, qui deficit; in austro, qui tendit ad caelum; in aquilone, qui ad infernum. Denique auster, utpote dextra pars mundi, representat dexteram Christi iudicis, ad quam in die iudicii a Christo stantentur omnes electi, ut beentur; aquilo vero, utpote sinistra pars mundi, representat sinistram Christi iudicis, ad quam collocabuntur omnes reprobi et damnati.

Obijciunt haeretici: Ecclesiastes hic tantum nominat duo loca post casum, id est mortem, scilicet austrum et aquilonem, id est caelum et infernum: ergo non est medius inter haec duo loca, puta purgatorium. Respondeo: Nego consequentiam; qui enim nominat duo extrema, media quoque inter extrema intercurreunt non excludit, sed potius includit: sicut hic sub austro et aquilone Ecclesiastes includit orientem et occidentem, qui medii sunt inter austrum et aquilonem; nominat autem hos duos polos quam orientem et occidentem, quia hi duo duos respiciunt mundi polos, scilicet aquilo polum arcticum, auster antarcticum. Illi ergo qui sunt in purgatorio pertinent ad austrum; quia certi sunt, peracta purgatione, se ituros in caelum. Sic pariter patres, qui tempore Salomonis erant in limbo, pertine-

bant ad austrum, qui expectabant reserationem caeli per Christum. Rursus, auster et aquilo significant duo loca ultima, in quae post mortem conceduntur animae, ut ibi perpetuo maneant; talia autem sunt tantum duo, scilicet caelum et infernum. Nam purgatorium non est locus ultimus sed medius, quia ex eo omnes animae transeunt in caelum. Ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Salomius et alii passim. Hinc Franciscus Suarez hanc gnomen exponit, primo, de duobus locis ultimatis, in quibus ultimo terminatur via viatorum; secundo, de loco consolationis et tristitiae: purgatorium autem est locus consolationis; vel optime, *q. d.* Post hanc vitam non est locus amittendi vel recuperandi Dei amicitiam; sed si homo decesserit ad austrum, id est in divina amicitia, ibi perpetuo manebit: si ad aquilonem, id est in Dei ira, inimicitia, ibi perpetuo erit. Ita Suarez, *III part. tom. IV*, disputatione 43. Accedit Salomius: « Per lignum homo designatur, inquit, quoniam unusquisque est quasi lignum sylvae generis humani; per austrum, qui est ventus calidus, requies paradisi designatur; per aquilonem, qui est ventus frigidus, designatur inferni supplicium. » Vide Bellarminum, *lib. I De Purgatorio*, cap. viii.

Moraliter, disce hic ingentem stimulum ad eleemosynam, et omnem virtutem esse considerationem aeternitatis stabilis et immutabilis, quae eleemosynarius felicissimus, immisericordibus miserima accidit. Unde hunc stimulum crebro adhibet Ecclesiastes, ut vers. 9 et seq; cap. ix, vers. 10; cap. xii, vers. 5. Discant ab eo nostri Ecclesiastes in suis concionibus crebro eodem stimulare auditores. Quid enim aeternitate majus, longius, terribilius, felicius vel infelicius? Quare qui ea non movetur, aut saxum est, aut demon desperate saluta. Vere Beda in *Collectanis*: « Tres, ait, mansiones principales constituit Deus, caelum, terram et infernum; et in illis tribus tres res principales, in caelo constituit pacem et aeternitatem; in terra constituit fidem, penitentiam et remissionem peccatorum; in inferno constituit timorem et aeternam poenam. De terra autem quae in medio est, replebitur caelum et infernum. »

4. QUI OBSERVAT VENTUM, NON SEMINAT: ET QUI CONSIDERAT NUBES (Arabicus, aeraem), NUMQUAM METET, — *q. d.* Qui retretur difficultatis, et parit eleemosynas ob eventus dubios, v. g. quia timet depauperari, vel ne pereat fructus elemosynae, hic omittit opera bona fructifera et nec necessaria. Solent enim praesentes agricola observare ventos et nubes, tradente Columella, Varro et Virgilio in *Georgiis*, sed moderate: nimia ergo eorum observatio, anxietas et pavor parit duntaxat hic capitur; nam aliqui semen nunc requirunt ventum frigidum, ut profundius agat radices in terra; nunc calidum, ut foras in copiosum germen erumpat; sic nunc requirit pluviam ut crassescat, nunc siccitatem ut se consolidat. Est